



AD VIRUM
PERILLUSTREM, MAGNIFICUM, EXCEL-
LENTISSIMUM ATQUE EXPERIENTISSIMUM,

DOMINUM
GEORG. VVOLFG. VVE-
DELIUM

MEDICINAE DOCTOREM FAMIGE-
RATISSIMUM, THEORETICES IN ALMA SALANA PROFESSOREM
CELEBERRIMUM, COMITEM PALATINUM CÆSAREUM, AR-
CHIATRUM AC CONSILIARIUM SAXONICUM
INTIMUM,

DOMINUM ET PATRONUM SUUM
GRATIOSISSIMUM

EPISTOLA,
QUA DE



INFANTE SINE
MANIBUS PEDIBUS-
QUE NATO

*in pago Eberstedt, prope
Fenam*

*Suam perillustrem Magnificentiam paulo plenius cer-
tiores facit, deque beneficiis variis gratias insimul publicas agit, ac fe-
licia noui anni auspicia apprecatur*

M. DAVID STEMLER,
Pastor VVickerstedtensium ac Eberstedten-
sium, Dioeceseos Roslanæ in Ducatu Saxo-Vinar. Adiunctus.

VINARIÆ,
Typis JOH. ANDR. MULLERI, Typog. Aul.

CLXXX.





Vir

*Perillustis, Magnifice atq̄ excellen-
tissime*

Domine Patrone gratiosissime,



Um in cunis Bethlehemiticis
formosissimum ac omnibus numeris absolu-
tum βρέφ. & ἐπαργανωμδρον intentiori men-
tis oculo venerabunda Christianorum turba
adhuc suspicit, ecce! alium quendam nuper
in vicino pago in lucem editum ac sua quadam
deformitate insignem partum obtutui *ILLUSTRIS MA-
GNIFICENTIAE TUAE* offerre sustineo. Audaciae huic
meae, qua aliarum forsitan graviorum occupationum circulos
turbare videor, noli irasci. Neque enim diutius iusto a seve-
rioribus negotiis avocabo, neque meditationes sacras recens
nato Servatori destinatas omnino interpellabo. Noster totius
mundi sospes natus Iesus Psalmo XLV, v. 3. speciosus forma prae
filiis hominum celebratur. Quod vates regius Hebraeus lingua
θεοπνεύσω ita eloquitur: יפִּיִר מִנִּי אֵדָם quasi di-
cat: pulcher pulcher, i. e. pulcherrimus omnium fuisti. Hoc
scite admodum Lutherus expressit: Du bist der Schönste un-
ter den Menschen Kindern. Non obloquor hic cohorti inter-
pretum, qui de Messiae spirituali & hominibus salutari pulchri-
tudine Psalmum exponunt; de hac enim sermonem esse series
textus utique euincit. Sed nec mihi iure quis obloquetur, si ad
ipsam etiam speciem ac formam corporis, qua omnes omnino
mor-

mortales natus DEI filius longe excellit, interpretatione neutiquam violenta verba hæc transfero. Certe in exponendo sacro codice, ea qua possumus, latitudine voces accipere oportet, nec nisi contextus vel alia necessitas vrserit, restringendæ illæ sunt, monente non semel accuratissimo divinorum oraculorum Oedipo Sebastiano Schmidio. Iam vero τὸ ἴδιον & animi & externorum membrorum pulchritudinem designat, & natus noster IESUS non ab omni labe & macula peccati purissimus tantum fuit; sed ipso etiam adpectu externo suavis, iucundus, ac amabilis sine controuersia existit. Quinimo etiam externa facie natum nostrum IESUM omnium hominum pulcherrimum fuisse oportet. Est enim pulchritudo iuxta Ciceronem Tusc. III. quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suavitate. In saluatoris autem nati corpore omnes partes, etiam minimæ fibræ aptissimam habuerunt figuram, ac proportione elegantissima sibi inuicem responderunt. Recte enim Theodoretus τὸ σῶμα ὁ γεγεννημένω διάπλασιν factam corporis formationem ipsi Spiritui S. cum Scriptura tribuit. Scilicet Spiritus S. admiranda Πλάσιν humanam Christi naturam atque adeo corpus etiam cum omnibus partibus in vtero Mariæ fabrefecit, dum massam sanguineam beatæ virginis sanctificauit, & ad consuetum generationis locum delatam disposuit atque eleuauit, vt ex ea fieret foetus humanus perfectissimus. Hic a Maria semper virgine conceptus ac in lucem editus partus vere σωτήριος non potuit non sua quadam etiam externa corporis pulchritudine coruscare. Idcirco Buchananus, quem Adrianus Turnebus in Gallia Græcæ Philosophiæ Professor regius, non solum eximium poëtam, verum etiam virum omni liberali eruditione non leuiter tinctum, sed penitus imbutum appellat, supra adducti Psalmi verba paraphrasi purissima ita enarrauit:

— *Hominum cui nemo e semine cretus*

Audeat eximie contendere munere formæ.

Secutus autem hic est Buchananus Origenem, Chrysostomum Gregorium Nazianzenum, Hieronymum & alios doctores antiquos, qui omnes eleganti quadam forma saluatorem præ reliquis hominibus exsplenduisse statuunt. Quanquam teste Cl. ac

pl. Reuer. I. G. Oleario, in notis ad Manuale Augustini, Clemens Alexandrinus ac Tertullianus, cum quibus etiam Cl. Salmasius facit, contrarium defendant, ac hic vltimus ac recentior suæ sententiæ ex numismatibus quibusdam vetustis suffulcimenta cudere satagat. Quam bene, iudicent alii. Sic sub iudice etiam lis manebit, vtrum Nicephorus l. 1. c. 40. faciem ac staturam Christi exacte satis & ad normam prototypi plene depinxerit. Cæterum corporis Christi pulchritudinem agnouerunt illi patres, qui apud Joh. Damasc. L. III. de orthod. fid. c. II. asserunt, filium sibi formasse corpus ἔ τὰς καὶ ἀ μικρὸν προδηκῆς ἀπαρτιζόμενον ἔ χήμα, ἀλλ' ὕφ' ἐν τελειωθὲν, quod non fuerit coagmentatum paruulis subinde additionibus figuræ, sed vno momento fuisse *perfectum*, citante Bebelio in Antiquit. Euangel. & Iud. N. T. ubi in hoc mea quidem sententia bene sentiunt sancti patres, quod corpus Christi *perfectum*, i. e. omnibus suis partibus absolutum ac sine omni defectu pulchrum pronunciant; in eo autem vel peccare, vel ratione saltem destitui videntur, quod fabricam corporis Christi vno momento consummatam ac plene formatam esse velint; cum alii Theologi vel plane de hoc disputare non audeant, vel manifesto contrarium tueantur, censentes factum, dum in vtero Mariæ fuit, indies creuisse more aliorum embryonum, donec ad maturitatem iuxta consuetas naturæ leges venisset.

Sed ad quas ambages dilabor? Cohibendus est calamus, ne epistolæ orbitas lasciuia sua plane transfiliat. Ad propositum igitur meum propius accedam, oculis illustri Magnificentiæ tuæ paulo clarius expositurus partem humanum corpore a speciosa perfecti corporis Christi forma longe abeuntem ac ob raritatem ac deformitatem suam neutiquam occultandum. Nempe superat adhuc & in hunc vsque diem vitali fruitur aura ille, quem in litteris meis mense Novembri superioris anni scriptis per transennam quasi conspiciendum eminus ostendi, sine manibus pedibusque natus infans. Hunc cum opposita iuxta se posita Philosophorum effato, clarius elucescant & formosissimum infantem natum IESUM deuota meditatione illustri Magnif. tua procul dubio hactenus perlustrarit, curioso oculo ad-
cura-

curatius intueri ne displiceat. Edidit autem eundem in lucem
 iuuenula quædam mulier rustica *πρωτόγον* in vicino ac mil-
 liari circiter Germanico Iena dissito pago Eberstedt, mensis Se-
 ptembris die vigesimo primo, anno præterlapso a partu virgineo
 millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo. Ille partus fœ-
 mella est, mensem ætatis a natiuitate nunc agitans quartum.
 Caput, collum, pectus, ac reliquis venter satis bene conforma-
 ta comparent; sed artus omnes deficiunt, ita vt nec digiti, nec
 manus, nec brachia, nec pedes, nec femora adsint. Soli ven-
 res, summus, medius ac infimus miserum corpusculum con-
 summant lamentabili adspectu. Monstrum id est, siue Philo-
 logorum exquiras iudicia, siue Physicorum admittas placita.
 Illis enim monstrum appellatur omnis res, quæ ob suam rari-
 tatem omnibus merito monstratur; his vero, quicquid est na-
 tura deforme, hoc est, præter naturam aut deficit aut excedit,
 monstrum salutatur. Quomodo in medicorum scholis audiat
 eiusmodi partus humanus, equidem nescio. Sed pace tamen
 tua, Vir illustris ac magnifice, licebit mihi eundem indigitare
βρέφους ἐσθ' ἀργαλωμένον, i. e. suis quibusdam fasciis inuolutum
 infantem. De fasciis natalitiis, quibus virgo mater primige-
 niti filioli corpusculum inuoluit, superstitione solliciti sunt Pon-
 tificii, partem illarum Romæ in Italia, partem Oveti apud A-
 stures, partem Duaci apud Belgas, partes alias in sexcentis locis
 aliis adhuc reperiri contendentes. Trahit sua quemque volu-
 ptas. Nos ipsum potius saluatorem in salutem omnium etiam
 miserrimorum hominum, natum vera fide amplectimur, humi-
 lique obsequio deosculamur, *ἀργαλα* siue fasciolas illis, qui-
 cus eiusmodi crepundiis delectari volupe est, lubentissime relin-
 quentes. Sed nostro infanti supra memorato *ἐσθ' ἀργαλωμένον*
 inuolucra, quibus Deus & natura eundem velauit, detrahere,
 operæ forsitan pretium fuerit. Equidem crassiora velamina
 ipse mea quasi manu remoui. Dum enim tristes ac nouo spe-
 ctaculo obstupefacti parentes de conferendo baptismo dubii me
 accerferent, ex capite, pectore, fletu humano, aliisque signis
 partum hunc verum animæ & corpore organico constantem ho-
 minem esse demonstraui, eundemque sacro baptismatis fonte

tingere nullatenus dubitavi. Vbi foemellæ, volentibus sic parentibus, nomen imposum est Annæ, ipsique parentes, vt puellam hanc omni cura ac sollicitudine diligenter educarent, admoniti sunt. Qui monitis meis patientem etiam accommodarunt aurem, ac Deo sic volente in hunc usque diem filiulam vivam conseruarunt, quam incredibili $\epsilon\sigma\sigma\gamma\eta$ prosequuntur, eandem reliquias imaginis Dei gerere ac vitæ æternæ cohæredem esse ex verbo Dei a me edocti. Sed subtiliores fascias euoluere, causasque deficientium in hoc foetu membrorum scrutari, nec opis est nostræ, nec cuiusvis alius mortalis. Hic enim animo obuersatur meo, quod vere non minus quam eleganter vates ille \acute{o} $\delta\epsilon\iota\upsilon\alpha$ apud Morhofium Polyhistor. libr. I. cap. XII. de eo, quod in disciplinis diuinum est, cecinit:

*Multa tegit sacro inuolucra natura, nec ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia, multa
Admirare modo, nec non venerare, nec illa
Inquires, quæ sunt arcanis proxima: namque
In manibus quæ sunt, hoc nos vix scire putandum est.
Est procul a nobis adeo præsentia veri.*

Vt vt vero in puteo veritas defossa lateat, nec quarumuis rerum causas cognoscere cuius liceat: non tamen plane de eruenda ac inuenienda illa desperandum est. Concessit enim Deus omnibus seculis viros quosdam quasi diuinos, qui ingenii sui acie omnia perumpunt ac occultos sapientiæ diuinæ thesauros aliis recludunt.

Certe perillustri Magnificentia tua plurimas res obstrusissimas aliisque cognitu difficillimas velut solertissimus naturæ indagator in apricum dudum produxit. Loquantur, vt alia taceam monumenta, eruditissimarum exercitationum Decades, in quibus sapienti $\beta\rho\alpha\chi\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$ de morte Iudæ proditoris, de morbo Iobi, de Sinapi Scripturæ, de morbis Senum Salomonæis, de Saule energumeno, de vulnere $\psi\omicron\mu\omicron\tau\omicron\delta\omicron\mu$ & argumentis infinitis aliis multo plenius perillustri Magnificentia Tua disseruit, quam alii Philologi, multis verborum ampullis in vastis voluminibus. Non tamen morbis solum curandis ac scientiæ medicæ tantum obiecto animum applicat perillustri
Magni-

Magnificentia Tua; sed vniuersum sapientiæ diuinæ & humanæ oceanum laudabili & a posteris deprædicando conatu exhaurire pertentat. Idcirco Alexander Maurocordatus, Portæ Ottomanicæ Consiliarius & Archiater, & ad Sacram Cæsaream Maiestatem legatus, at quantus vir? in epistola raro exemplo scripta, perillustrem Magnificentiam Tuam in censu doctissimorum hominum habet, principem inter illos locum omnium suffragiis Anno 1689. mensis Novembr. 25. merito assignans. Omnino igitur perillustris Magnificentia Tua etiam infantem supra descriptum *εὐαργατωμένον* fasciis suis ita denudatum toti orbi sapientissima demonstratione sistere facile posset vt mirabilem in hoc etiam opere Deum deprædicandi occasionem quam plurimis suggereret. Quod si faceret perillustris Tua Magnificentia, ac de *monstris Biblicis* insimul nonnulla commentandi ansam arriperet, vniuersam Philofophantium cateruam non parum bearet. Sed meum hic non est vel consulere, vel ulterius quicquam exorare. Functus meo sum officio, expositis iis, quæ exponenda esse duxeram. Ne igitur promissi immemor præter fas & æquum ab aliis negotiis perillustrem Tuam Magnificentiam abstraham, filum epistolæ abrumpo. Tantum grates accipe humillimas pro egregio denuo exhibito beneficio, quo mihi ipsi graui morbo decumbenti filioloque variolis pene enecto post Deum trinunum solus vitam sanitatemq; restituiisti. Maior est gratia perillustris Tuæ Magnificentia erga meam tenuitatem, quam vt a me compensari queat. Hinc vitam meam tibi me debere, publice profiteor. In id ergo saltem omni studio incumbam oportet, vt in hominem gratum memoremque beneficia tua collata esse appareat. Et quanquam vena si quæ in me vnquam fuit, Poëtica, hic inter agrestia numina penitus exaruerit: attamen ad felicia noui anni auspicia promouenda non possum non inconditum hoc carmen deuoto ac simplici corde affundere:

*Ante leues ergo pascentur in aethere cerui,
Ilmag, cum Sala nudos in littore pisces
Destituet, citius mutatis sedibus exul
Danubium Gallus bibet, aut trux Turcia Rhenum,
Quam*

Quam mihi W E D E L I I labatur pectore vultus.
Quin velut ad Iouam calidis altaria cordis
Fumabunt precibus pro diuo munere vite;
Sic quoque promeritum sostrum persoluere posthac
Connitar medico, qui morbida dispulit arte.
Interea natum supplex venerabor I E S U M,
Ut te diuinæ virtutis protegat alis
Diuinum Medicum. Tibi felix hic fluat annus.
Inuidiam superes, hostes liuore peremptos
Conculces pedibus, cedant tibi prospera cuncta.
Splendescens magis atque magis vilitato per ora
Docta virum sublatus humo dignabere cælis.
Semper honos, nomenque tuum celebretur in orbe.
Sunt Patrone, Tui deuoti hac vota clientis,
Anno quo clamat Musarum docta corona:

VIVas Nestoreos annos, V lgeasqVe Georg I
OVV Loffgang VVe De L, Morbos pVLsa-
re parate!

Scribebam VVickerstadii d 19. Jan. 1698.
non lecto quidem, sed museo tamen
adhuc affixus.

Perillustris ac Excellentissimæ
Magnificentiæ Tuæ

Seruus humillimus ac cliens deuotus

M. DAVID STEMLER.

Q. N. 127, 2.

PERILLUST
LENTIS

GEOR

MEDICINA
RATISSIMUM, TI
CELEBERRIMU
CHIATR


DOMIN

INF
MAN

*Suam perillust
torem facit, de*

M. D
Pastor VV
sium, Dioc

Typis
CLXXX.



, EXCE
UM,

VVE-

AMIGE-
ROFESSOREM
REUM, AR-
CUM

SUUM

INE
US-

*in pago Eberstedt prope
Jenam
plenius cer-
as agit, ac fe-*

ER,
rstedten-
iunctus.

BIBLIOTHECA
PONICKAV

